









1703.

1. Buch, Gumpel : De exceptione iuratoria bees.  
l. 2. P. de Proc. Impend. Offend.
2. Hake, Christianus, Albertus : De confessione delicti ius  
cua
3. Hellbach, Iohann Christoph : De pueris & eorum studiis  
et munitis
4. Nichter, Gualtero Benjamin : De iudiciis promissis
5. Schindler, Martinus : De sponsalibus & nuptiis
6. Schumann, Christianus : De foro deprehensionis
7. Streit, Joannes Philippus : De iudiciis.
8. Streit, Iohann Philippus : De legibus & non statibus  
personarum dissonantibus & potentibus

9. Kretz, Johann Philipp : De contractibus pignoratitio
10. Tiesendorfer, Johann Heinrich : De Jurisdictione et  
 actibus christianorum publicis tolerantia
11. Viti, Johann : De probationibus, quae fit  
 per instrumenta
- 12<sup>a</sup>, Wincap, Johann Matthias : De admittendis et  
 revocandis procuratoribus 2 Sept.

1704

1. Behmer, Johann Christian : De remissione delicti  
 privati
2. Meier, Georgii Francisci Agriatilis : De lege discessura
3. Meier, Joh. Henr. : De officio tutoris
4. Meier, Joh. Henr. : In perpetuis carceribus

5. Piſtor, Philippus Fridericus: De numerata pecunia  
 solvenda -
6. Tengell, Emmerich: De jure rescindendi transactionum
7. Vesli, Justus: De iniquitate viri.
8. Winckler, Kaspar Günther: De suspensione et officio  
 Weize
9. ~~Winckler~~, Johann Veit: De errore non nocere
10. Winckler, Johann Matthäus, Prof. publ. ord. : ad Repu-  
 blicanum iurum. Joannis Veit Weizii iurista
11. Winckler, Johann Matthäus: De remissione delinquentium  
 et criminum perpetrata peccati
12. Winckler, Johann Matthäus: De restitutione 2 parts
13. Winckler, Johann Matthäus: De executione et satisfactione  
 in causis civitatis





g. 20. num. 3. ~~03~~ A

7

I. N. J.

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS 1703,1

DE

# EXCEPTIONE MORATORIA

Occas. L. 2. Cod. de Precib.  
Imperat. Offerend.

P. 40

QVAM

DIVINA ASSISTENTE GRATIA

EX DECRETO

MAGNIFICI JURIS-CONSULTORUM ORDINIS

IN

ILLUSTRI & PERANTIQVA HIERANA

PRO LICENTIA

SUMMOS JURIS UTRIVSQUE HONORES

& PRIVILEGIA DOCTORALIA

consequendi

Publicæ Eruditorum Ventilationi

sisit

Gottfried Busch /

Ad Diem 31. Martij Æræ Christ. 1703.

H. L. Q. C.




Excudebat JOH. HENR. Großh/ Acad. Typogr.

DISSERTATIO PERIPYCA IN ICHERKIS  
DE



**A MICIS**  
ATQVE  
**FAUTORIBUS**  
**SACRUM!**





## AMICO LECTORIS SALUTEM!



Um absoluto in diversis Aca-  
demiis, variorum Doctorum  
adjumento juris curriculo, ex  
Regiomontana ante triennij  
lapsum à Parente domum re-  
vocatus dulce solum patrio-  
rum Larium iterum salutarem, substiti hucusque  
inibi opportunam DEO & Proximo inserviendi  
occasionem oppertus; Tali verò, nescio quò infe-  
lici fatò, neque ostentata mihi satis commoda mi-  
nusque obtenta, satius putabam, me in tempore Fo-  
ro & Praxi, ad quam plurimam Studiorum meo-  
rum rationem apprimè contuleram, applicare. Ni-  
mis tamen odiosum videbatur titulum Veterani  
Academici honorabilem cum chara Hære novitij  
Advocati commutare, ea propter, quasi promeru-  
isse svasus, modestè ambij Superiores Themidis

honores, quos etiam Inchyta Facultas Juridica Illustri Gerana in premium exantlatorum laborum & variorum rerum discriminum perpefforum, exhibitis Textibus ex Utroque Jure pro virili resolutis Examineque Rigoroso ritè sustentò, mihi unanimiter & benignè contulit; Qua supererant autem Specimina duo solennia Læctionis scilicet Cursoria & Disputationis Inauguralis pro more ubivis ferè recepto etiam præstanda & absolvenda, illius locò Explicationem L. 7. C. de divers. Rescript. & Pragm. Sanct. ipsis Calendis Martij ann. præf. in Acroaterio JGtorum Collegij majoris suscipiens exhibui; hujus verò ratione utilitatis forensis maximè adactus, L. 2. C. de Precib. Imperat. offerend: ut inaugurale differendi argumentum, quod neque ab usu nimis remotum esset, neque præsidia sibi ex sola vel observantia Judiciorum aut Dd. sententijs exposceret, seligerem. Et cum inter Exceptiones ea, qua Moratoria dicitur, hodie toties quoties in foro obvia ac frequens, ad evitanda quoque varia Reipubl. incommoda scitu multum necessaria, ab interpretibus verò nondum ita perspicuè & convenienter explicata inveniantur, ut supervacanea videatur labor, qui circa eandem consumitur, præsertim si

ex fonte h. e. Jurisprudencia principijs hauriatur, nemo facile mihi vitio vertet, quod in hoc argumento elaborando tempus contriverim, cum potissimum ea, quae vel alij neglexere, vel non satis commodè exposuerunt, hic annotanda mihi esse proposuerim. Quare candidus Lector eò certius hunc qualemcunque laborem aequi bonique consulet, quò breviori temporis spatio, in itinere maxima ex parte conceptus & continuas inter turbationes absolutus fuit. Etenim malevolis, quorum animus ad reprehendenda facta aliena & dicta nimium proclivis & ardens est, illud tritum objicio: Facilius est reprehendere quàm imitari: quippe ignorantia semper carpit quod non capit. Licet quoque Proverbium istud adhuc hodie veriverbium manserit: Nil dici, quod non dictum sit prius: tamen minimè is, qui subtiliter factum emendat, inferior, sed potius superior eo habetur, qui prius invenit, testante hoc ipsum conceptis verbis Imperatore Sacrat. Justiniano in Praefat. prim. de Concept. ff. ad Tribonian. §. 6. in fin. Ubi quidem non captiosam & quae ad simplices decipiendos vergit, intelligit subtilitatem, hanc enim Prudentum frangit auctoritas l. 5. ff. de Transact. c. 3. dist. 20. sicuti illa, quae ad perniciem alterius

tendit, penitus improbatur in l. Sancimus C. ad SCt. Trebell. cum jurium Scrupulositates, que justitiam magis intricatam reddunt & promovent, cane pejus & angve fugiende sint: Sed subtilitatem rationabilem indicat Imperator, qua ad Juris & facti interpretationem multum confert, & hodiernum instar requisiti summe necessarij ipsis Judicibus commendanda & injungenda. vid. l. ii. C. de Judic. l. un. C. de Profess. & l. ii. pr. ff. de pœn. His præmonitis atque præmissis citra ulteriora verborum lenocinia & ambages, Summi Numinis auxilio desuper ardentè invocato, ipsam Tractationem aggredior.

FAXIT DEUS FELICITER!



DE

DE  
EXCEPTIONE MORATORIA.

## I.



Lecta hujus materia traditurus, non diu circa vocabula & terminorum evolutiones immorabor; cum verborum, *Exceptio & Moratoria*, significatio cuius facile obvia atq; notoria esse possit. Quoniam vero & manifestissimorum non negligenda interpretatio, per l. 1. §. 11. de *Ventr. inspiciend.* ut lecturo statim ab initio dissertationis status & tituli origo innotescat, ideo placet juxta communem & etiam JCtis receptam Methodum in l. 1. pr. ff. de *Jus. & Jur.* §. 1. ff. de *tutel.* brevissimis quidem, hac addere: Exceptionis vocem derivari ab *excipiendo*, quod idem est ac separare, eximere, l. 4. §. 6. ff. de *pen. legat.* Hinc etiam Actoris causa, de qua agitur in judicio, per Exceptionem quasi separatur & eximitur *arg. pr. J. de Except. & Ludwell. Disput. ad J. 17. th. 1. lit. H.* Moratorium autem vocabulum descendit à verbo *morari*, quod inter alias significaciones aliquid retardare vel differre passim in jure notat per *text. l. 21. ff. de judic. & l. 1. §. 8. ff. ad L. Falcid.* Alios præterea *Excipere* admittit significatus, uti ponitur in §. 46. *J. de Rer. Div.* pro accipere, suscipere, it: reservare, sibi retinere, cavere, subire, detrahare, deducere, se defendere, ut videre est apud *Rebuff. in Comment. ad Tit. ff. de V. S. sub verb. Excipere, pag. m. 907. ubi & pag. 1011.* de verb. *morari* quam plurimas acceptiones cernere licet. *Add. Calv. Lexic. Jurid. verb.*

*verb. Excipere & Prascrib.* Denique pro Exceptione sumitur, & eandem significationem inducit Judicialis allegatio rei, item actionis limitatio, exclusio, amputatio, rei defensio & Prascriptio *l. 2. C. de Prec. Imp. off.* Qualis Prascriptio seu Exceptio dilatoria illa dicitur, *quæ debitori extra culpam, casu vel adversâ fortunâ ad incitas redacto, ex indulg. Principis ad creditorum suorum intentionem ad tempus excludendam, jus tribuit.* Consideratur autem ratione Subjecti dupliciter, vel enim generali respectu ad omnes omnino Provinciae alicujus & Regionis debitores, qui tempore belli per continuas hostium invasiones ac deprædationes ad inopiam redacti sunt extenditur, uti ab Imperatore & Statibus Imperij tricennali bello miserè afflictæ Germaniæ opem ac medelam afferre volentibus, ejusmodi Remedium datum esse & *Instrument. Pac. Osnabrug. art. 8. §. de indaganda. & subsequenter Recessus Imperij Ratibonensis anno 1654.* luculenter attestantur, jungatur *Rennem. in Jur. prud. Rom. germ. Membr. 3. de jur. obl. Disp. 66. in additament.* vel specialiter saltem intuitu debitoris cujusdam, aut Civitatis, Communionis vel Collegij civiliter unam personam representantis talis Exceptio indulgetur ex impetrato Rescripto moratorio, quale olim concessit Ferdinandus II. Civitati Goslariensi & alijs, *referente Schwedero in Introduct. sua Jur. Publ. Part. Special. Sect. 1. c. 17. n. 8. Rbet. Inst. Jur. publ. lib. 2. tit. 9. §. 12.* Alias præterea inducias Princeps, alias Creditores suis debitoribus largiuntur, quæ posteriores quidem his temporibus rariores, cum paucissimis Creditorum, ut de Jure suo vel summa debiri quicquam remittant debitori, aut in moram temporis modici consentiant, persuaderi possit; idcirco omnis prope-  
mo-



modum Spes in Gratia Principis collocata est, quare & hodie usitatores ijs, quas Creditores dare solent. Porro quoad Summam dividuntur; vel enim plenariè ratione totius sortis, aut tantum istius parte & Usurarum, dilatio ad solutionem permittitur, *uti in dicto Recessu Imperij dispositum*, quod Creditores ante triennium nihil exigere, post ejus lapsum verò debitores sortem particulatim intra duos, tres, quatuor &c. annos, usuris ad quadrantem remisissis & sic post decennium completum exolvere deberent. Deinde ratione durationis hæc Exceptio Moratoria biennalis, triennalis & decennalis dici potest, quod spatium quidam Principem indulgere non posse ob maximum, quod creditoribus inferret præjudicium, frustra evincere conantur; *per l. Imperator 8. pr. ff. de Postulat.* Quà de re pluribus infra mentio fiet & alia subinde distinctiones ex allatis Exemplis colligendæ erunt. Ante omnia verò hic expendendum, quò Legum fundamentò Materia hæc stabiliatur, cum vulgò Interpretes nil quicquam magis aptum expeditumque sibi persvadeant, quam eandem ad jam *cit. l. 2. C. de Prec. Imp. off.* veluti sedem referendam, indeque originem arcessendam esse. De qua passim recepta sententia, quid habendum quidve statuendum sit, ut eò penitus constet, operæ pretium erit ipsa allegatæ Legis verba afferre, hòc enim modò

*Imperator Constantinus A. ad Severum*

*Praefectum Urbis* rescribit:

Quoties Rescripto nostro moratoria praescriptio permittitur, aditus supplicanti pandatur. Quod autem totius negotij cognitionem tollit & vires principalis negotij exhaurit, sine gravi partis alterius dispendio convelli non potest. Nec praescriptionis igitur peremptoriae relaxa-

tio petatur. Dat. X. Cal. Jun. Nicæ, Paulino & Juliano Coll. 325.  
 Quæ verba quamplurimi Dd. ita explicare solent, ut sensus sit: Principis Rescripto debitori beneficium tributum posse, ne intra certum tempus à Creditoribus ad solvendum compellatur, *Præscriptionem* autem *Peremptoriam*, per quam planè remittatur debitori æs alienum, quo creditoribus obstrictus est, *relaxari*, i. e. indulgeri haud posse *vid. Brunnem. in Comment. ad Cod. b. l. qui talem facti speciem ex lege eruit: Oblatum ab aliquo libellum supplicem Principi & in eo petatum esse, ut propter bellicas clades ipsi daretur Rescriptum, ne quicquam solveret, vel ut creditores parte contenti vivere cogerentur, aut saltem intra tempus nullam ab illis molestiam pateretur: Et responsum fuisse, in ultimo Principem ipsi gratificatum, in prioribus non. Enim verò, qui verba legis, eorumque nexum paulò altius secum expendit, facillè deprehendet, hanc interpretationem eandem non, admittere. Quo enim verba: *Aditus supplicanti pandatur*: referas? quippe quæ præcedens aliquod Rescriptum haud obscure præsupponunt, quod cum allata explanatione conciliari nequit. Quicquid præterea Interpretes se torqueant, ut verbis sequentibus mentem opinionis suæ conformem affingant; nemo mihi tamen probabilem quandam sensum, quò modò eorum institutum huc quadret, exculperit.*

## II.

Quocirca etiã hanc Legem interpretandi rationem inuit *Cujacius lib. 2. observ. 10* ubi contendit, duplicem hic Exceptionem proponi, unam dilatoriam *Pacti Conventi*, ne intra certum tempus petatur debitum, alteram *peremptoriam*, ut plane non petatur; Atque in Lege pro-

proposita definiri prioris generis exceptionem in favorem creditoris rescripto Principis remitti, sed alterius generis exceptiones; peremptorias nempe, haud posse. At tamen quo minus & hæc explicatio locum inveniat, cum alia plura, tum vel maximè æquitas resistit. Sanè enim jùs debitori per conventionem quæsitum rescripto Principis auferri non potest *l. 4. C. de Emancipat. C. S. ult. sub fin. 7. de his qui sunt sui vel al. jur.* Præsertim cum jura ad liberandum potius, quam constringendum debitorem & reum proniora sint, *conf. l. 3. §. 3. ff. quod quisque Jur. in alt. stat. l. 5. ff. de Pen. C. c. odia, 15. de R. J. in cto.* Nec quicquam afferunt, qui ad confirmandam hanc interpretationem casum fingunt, quò debitor ante tempus, solutioni destinatum, vel de fuga suspectus, aut dilapidationis metus subsit, quo casu statim ad Rescriptum Principis confugere opus non est, cum ordinaria adhuc media suppetant, quibus Creditor sibi consulere atque de solutione prospicere possit. Sed nec ipse *Anton. Faber, qui in Tr. de Error Pragmat. Dec. 25. err. 3.* Cujacij explicationem castigat, feliciter rem expedivit, ubi dictam Legem de Præscriptione ad constituendi Judicij causam pertinere, eamq; utut ipso jure litigatori competat, Principis tamen Rescripto adimi posse, asserit. Nullam enim vel probabilem addit rationem, quâ, hanc Imperatoris mentem fuisse, ostendi queat.

## III.

Veram ergo sæpius memoratæ Legis sententiam inquirentibus liquet, sermonem in ea esse de libello supplicii adversus Principis Rescriptum ab altera parte impetratum, per quem illud revocari atque convelli petitur, & rem ita decidi, ut videndum sit Judici, utrum per tale rescriptum parum Præscriptio seu tale quid, quòd sententiam

tiam definitivam tantum differat, concessa sit, & hoc casu alterius partis supplicationem, per quam remoram istam amoveri petit, admittendam; sin vero Rescriptum litem, præviâ forsan summaria cognitione omnino definit, & totius negotij vires exhauriat, non audiendum esse adversarium petentem tale rescriptum tolli aut immutari: Quod etiam *l. 2. C. ut lit. pendent.* plenius explicare videtur verb.

Qui autem terminatam rescripto vel consultatione questionem, exquisito suffragio, refricare conabitur, in omnem litem estimationem adversario suo protinus condemnetur: omni venia deneganda, si quis contra hæc supplicare tentaverit.

Ex Rescripto scilicet, quamvis summariter, causâ aliquâ debiti discussâ, & absolutoriè pro debitore terminata sit, Exceptio Rei judicatæ insimul exoritur, idcirco *in d. l. 2.* dicitur, quod præscriptionis, h. e. Exceptionis peremptoriæ, instar Rei judicatæ, relaxatio peti non debeat. Quæ Legis sententia tam manifesta ex ipsis verbis est, ut mirum sit, potuisse interpretes jurium in aliam incidere; Nihilo tamen minus fatendum, & usu receptam & in foro comprobatam hanc vulgarem de inducijs debitori concedendis interpretationem esse, quæ materia majori demum specie *ad l. 4. C. de Proc. Imp. off.* revocaretur, nisi quod eandem à Triboniano malè intellectam & ut instituto inserviret, de suo peculio ultima eidem verba ab illo adjecta esse moneat *Jacob. Godofr. in Comment. ad Cod. Theodos. Tom. 1. Lib. 1. Tit. 11.* Quod quidem parum ad rem facere videtur, cum omnia, quæ etiam in codice reperiuntur, sive aliunde desumpta, sive à Triboniano ex suo ingenio adjecta sint, autoritatem juris à Justiniano acceperint, atque adeo pro Legibus custodienda

da veniant §. 3. 7. *proem.* & *li.* §. 6. *ut etiam l. 2. §. 10. C. de Vet. Jur. enucl.*

## IV.

Hâc generali explicatione præmissâ, Causam Efficientem *hujus Legis 2.* indeque descendenti Exceptionis moratoria qualitatem cernere licet Imperatorem Constantinû, ratione compilationis vero Justinianum, qui, uti jam commemoratum, omnia sua fecit, ijsque Imperatorij splendoris authoritatem impertitus est, Ille Constantinus dictus cognomine Magnus, fuit XXXIV. Romanorum Imperator, & Superiores omnes virtute pariter & gloriâ vicit, fasces Imperij tenuit Anno CCCIX. legemque prædictam dedit Anno CCCXXV. & quidem Niceæ, ubi etiam Regiminis sui Anno XX. discordes inter se Episcopos reconciliare studuit, Niceno Concilio amplius CCC. Episcopos, cui ipse interfuit, coactò, quò Arriana Hæresis, divinitatem Christo adimens, damnata est, vitâ defunctus Anno Imperij XXX. *referente hoc Turselino in Epitome sua Histor. Lib. 5. fol. 127. & Eusebio in Vit. Constantini Lib. 1. Cap. 28. add. Text. Jus Publ. Tit. XI. de Cesar. Reservat. circa Eccles. num 9.* Ex his & alijs firmiter colligere licet, quòd etiam hodiernum in Univerſo Imperio nostro Romano-Germanico, Augustissimo Imperatori & respectivè Regi Romano, aut durante Inter-Regno Vicarijs ejusmodi Rescripta Moratoria subditis Imperij tribuere competat. *Stamm. de Reservat. Imperat. §. 73. n. 1. & Synold. Schuß. Exercit. 5. thes. 9. de Vicarijs.* Sicuti nec Statibus Imperij, qui in communionem Majestatis recepti sunt. *per Instrument. Pacis Osnabrug. & Monast. art. 8. §. gaudeant.* Und also die Landes-Fürstl. hohe Obrigkeit / vel ut Civitates Im-

Imperiales die Landes-hohe Obrigkeit haben. *vid. Carpz. in Comment. ad Leg. Reg. Germ. Cap. 1. Sect. 13. num. 4. seqq.* non deneganda hæc impertiendi Moratoriorum potestas in suis territorijs, extra illa enim parum aut nihil operantur. *arg. l. f. ff. de Jurisdic. add. omnino Myusing. Cent. 5. Observat. 19.* Alias si dextrè intelligatur, non videtur vana esse vulgaris illa Regula, quâ Status in ditione sua & Territorio vi territorialis Superioritatis ac Eminentia tantùm dicatur posse, quantum Imperator in Imperio, *Germ. Ein jeder Fürst und Herr ist Pabst und Käyser in seinem Lande/vid. Reinking de Regim. Secul. & Eccles. lib. 1. class. 5. cap. 6. num. 3. & 38. Heig. P. 2. quest. 40. num. 22. seq.* Cum itaque Facultas hæc Moratorias concedendi Summo Imperio vel etiam analogæ Majestati adhareat, atque Regalibus accenseatur, inde liquet eandem inferioribus Magistratibus vindicare non posse. *per Recess. Imperij de Anno 1548. conf. Anton. Faber in Cod. lib. 1. tit. 9. def. 17. pr.* Quamvis alij dissentiant, frustra innitentes præsidio *l. 45. §. 10. ff. de Jur. Fisc.* Quæ Lex de debitore, qui solvendo quidem est, ast ad faciendam solutionem modicum sibi tantummodo intervallum concedi petit, qualem dilatiq- nem tribuere in hac leg. cit. Imperator Magistratui permittit intelligenda, cum in mora modici temporis non resideat damnum grave *l. 21. ff. de Judic.*

## V.

Hic loci disquiri posset, an etiam Augusta seu Imperatrici Jus hocce competat? Constat enim, quod ipsi paria Privilegia Summi Principis concessa sint, *in l. 31. ff. de Constit. Princip. ibi: Principes tamen eadem illi (Augusta) Privilegia tribuunt, quæ ipsi habent.* Et insimul in Consilium Imperatoris admissa fuit. *vid. Nov. §. cap. 1. ubi: Hac cogi-*

cogitantes, & hic quoque participem consilij fumentes eam, qua à DEO data est nobis, reverendissimam conjugem. Similiter Imperatrix ab Archi-Episcopo coronatur, his verbis in ipso actu Coronationis prolatis: *Accipe Coronam Gloriae, ut scias Te esse Consortem Regni. Conf. Carpz. supr. cit. Comment. in Leg. Reg. Germ. cap. 11. sect. 10. num. 19. Et apud Lehmannum in Chronico suo Spirensi lib. 5. cap. 26. legitur: Henrici IV. Imperatoris Conjugem Agnetam, quamvis rarissimo exemplo, Imperio praefuisse, verb: Nach tödl. Ubgang Rāyser Heinrichs / (qui tertius ejus nominis Imperator fuit) ist Rāyser Heinrich der Vierdtes und die Verwaltung und Regierung des ganzen Rāyserthums in Frauen Agnes der Rāyserl. Wittibhänden und Gewalt gelassen worden/welche zu Goslar ihre Residenz und Hoff gehalten. Et adhuc hodiernum specialem Cancellarium, qui in Actu Coronationis ipsi Coronam praefert & aservat, Abbatem Fuldensem habet, cum Jure Primariorum Precum in Asceterijs seu Monasterijs foeminarum circa beneficia vacantia, vid. Text. in Jur. Publ. Tit. 14. de Augusta Imperatrice n. 17. & 18. it. num. 80. & seqq. ut & Rbet. in Inst. suis Jur. publ. lib. 1. tit. 22. §. 7. Ex quibus & quamplurimis alijs argumentis facilè quis Affirmativè, cum primis ratione Monialium Ascetiarum & Canoniarum, si ob debita hypothecaria conveniantur, subscribere poterit. Verùm ne extravagare vel odiosa quasi proponere hic videar, cum quaestio hæcce, quantum memini, hæctenus parùm mota fuerit, vela contrahens decisionem suspendo, & ad alia pergo:*

## VI.

Aequum itaque ac rationi Legique Charitatis Christianæ valdè conveniens est, si miseris & egenis debitoribus,

bus, qui per sinistra fata rerum & facultatum suarum ja-  
 cturam passi sunt, ut amatores æquitatis & justitiæ suc-  
 curramus, *Nov. 2. cap. 5.* Amico enim afflicto non est ad-  
 denda afflictio, *l. 4 §. 2. in fin. ff. ad Leg. Rhod. de jact.* sed  
 ipsi potius longanimi simus, Eleemosynas addendo & tem-  
 pus solutioni indulgendo, *Ecclēsiaste ita perhibente in cap.*  
*29. v. 11.* Cum paupertatis intuitu multa indulgeantur,  
*vid. l. 6. J. de Excusat. Tue. ubi Schneidew. Et omnino Cap. 1.*  
*v. Circa tertium. de Privileg. in Extrav. communib.* Et  
 Paupertatis nota evidenter excuset illos, qui non habent  
 in facultatibus, ut nulla poena multari debeant, *Cap. Cum*  
*in manifestos. 5. X. de Usur. in fin. & nil nisi actio inanis*  
*contra eos instituat, l. 6. ff. de dol. mal.* *Dann wo nicht*  
*ist/da hat der Käyser sein Recht verlohren / vulgo dicitur.*  
 Hinc merito Principes movet æquitas pariter ac Huma-  
 nitas ad concedendum pauperi Rescriptum Moratorium;  
 Illa quippe maximè in omnibus spectanda & consideran-  
 da venit, *l. 90. Et 183. in f. ff. de R. J. & fundamentum ac*  
*basis omnium Juris rationum, dispositionum, ordinatio-*  
*num, statutorum, consuetudinum, aliorumque id genus*  
*pro Legibus & Sanctionibus inter homines stabilitorum;*  
 multa scilicet & infinita penè ob æquitatem inducuntur,  
 quæ alias non fierent *juxt. Prat. in Reg. general. Jur. lib. 1.*  
*tit. 1. cap. 1.* Eaque distingvitur à Duaren. *in lib. 1. de Pract.*  
 in Naturalem & Civilem: Hæc non omnibus nota esse  
 potest, sed paucioribus tantum, qui Prudentia, Usu & Do-  
 cetrina præditi, didicerunt, quæ ad societatis humanæ con-  
 servationem requiruntur. Naturalis vero potissimum  
 circa effectus & causas finales operatur, *l. 3. §. 7. ff. sibi q. Bal-*  
*dus de Condit. caus. dat. caus. non secut.* Et illà causâ ces-  
 sante, cessat etiam effectus. Quod si ergo falsa causa, quæ  
 sola.



sola movit concedentem, in Rescripto expressa sit, hocce  
 vitiat, *cap. super literis. 20. X. de Rescript.* Maximè cum  
 inspicitur, cujus contemplatione & occasione aliquid fiat,  
 & evidenter probetur, *l. facta 63. §. 2. ad SCrum Trebell. l.*  
*6. C. de Pact. inter Emr. & Vendit. Can. Pontifices XII.*  
*quæst. 3.* Quare, si Princeps tantum paupertatem falsò in  
 supplicato allegatam respexerit, subsistere nequit Rescrip-  
 tum, *l. 7. C. de divers. Rescript. §. c. 2. X. eod.* Nisi præ illa  
 incommoditatem & difficultatem solvendi, ob quam et-  
 iam rescriptum indulgeri potest, forsan ex commiseratio-  
 ne animadverterit concedens, *vid. Brunnem. in Comment*  
*ad L. 4. C. 2. §. 8. h.* ubi refutat Carpzovium statuentem tale  
 Rescriptum ob solam paupertatem concedi posse; *add.*  
*Freyer in Tr. de Solut. cap. 9. num. 49. in fin.* Humanitatis  
 quoque est Secularis Principis prospicere egenis, & dare  
 operam, ut pauperibus alimenta non desint; & sic non  
 tam piè quam etiam justè in hoc articulo quodammodo  
 agat, *vi Cap. 1. §. Circa tertium jam. cit. in med. de Privil.*  
*in Extrav. communib.* Si enim immoderate Creditorum  
 comminationes Indultis ejusmodi Moratorijs tantisper  
 non coercerentur, solutio *contra l. 105 ff. de Solut.* morosi-  
 us quotidie urgeretur, ut tandem pauperes hi, omnibus  
 solvendi medijs destituti, laribus avitis, ac sepulchris o-  
 mnino carendum haberent, *l. 38. ff. de Rei Vind.* Idcirco  
 rectè hoc modo ille compellitur ea pati, quæ alteri pro-  
 desse, sibimetipsi verò parùm nocitura sunt, *l. 2. §. 7. in fin.*  
*ff. de aqu. & aq. pluv. arcend.* Postea quoque eos minùs  
 reneram oportet habere conscientiam, qui ejusmodi de-  
 bitorem impetratà, Principis rescripto, dilatione, tutum  
 esse in foro interno negant. *add. l. 33. ff. de Usur.* Quod  
 tamen intelligendum de Moratorijs præcedente causæ  
 C  
 cogni-

cognitione concessis, ab usum enim hujus beneficii nemo facile comprobet. *arg. L. meminereunt 6. c. Und. Vi.*

## VII.

Quemadmodum autem, ut in precedentibus dictam, infelicibus demum debitoribus, fortunæque injuriâ citra suam culpam afflictis competit hæc Motorij Exceptio *per arg. L. 37. §. 1. ff. de Negob. gest. Nov. 4. cap. 3. ut & Reformat. Polit. de anno 1548. Tit. 23. §. Das sie aus unverseheneu zugestandenen Unglücks-Fällen / it. 1577. it. Recess. Imper. 1654. §. 171. verb. durch den Krieg von Mitteln kommen / c.* Ita Decoctores improbi, Falliti, Bancruptores & similes farina homines, quibus non grave fuit fidem datam fallere, *L. 1. §. 1. ff. de Constit. pecun. & qui vitio suo, h. e. luxu, aleâ, Venere, supina negligentia, prodigalitate & lautè vivendo calamitatem hanc sibi arcessivè, eodem non gaudent, sed meritò ab illo arcentur, add. Reform. Ord. Polit. Augsb. de ao. 1548. ibi. Welche zu Zeiten mit ihren übermäßigen Pracht / unordentl. Wesen / Leben und sonst in andere Wege in Abnehmen und Verderben kommen. Cum beneficiorum jura non decipientibus sive indignis, sed deceptis succurrant, L. 2. ff. ad. Sci. Vellej. & frustra Legis auxilium implorat, qui temerè in illam committit, L. 37. §. 1. in f. ff. de minor. 25. ann. Unde etiam quovis adhibito rigore compelli queunt ad solvendum, ne sua ipsis malitia, versuta machinatio atque dolus, impium præsidium conciliet. L. 7. in f. C. de Natural. Liber. Intelliguntur scilicet damnum hoc, quod sua culpa sentiunt non sentire, L. 203. ff. de R. J. Quare illos Imperator Carolus V. in dict. Recessu Imper. de ann. 1548. furibus comparavit. add. Reformat. Polit. cit. loc. §. Von verdorbenen Kauffleuten / verb. Einen Diebstahl wohl vergleichen / c. vid.*

Et vid. Text. in Jur. Publ. Tit. 12. de Reservat. Cesar. secul. num. 60.  
 Et seqq. Et in Saxonia per Constit. Elect. Aug. 22. in pr. verb.  
 Und Er möchte bey seinen Gläubigern keine Nachlassung  
 erlangen/berührte Gläubiger wären auch auff andere We-  
 ge nicht zubehandeln /r. jubentur in Carcerem detrudi,  
 donec solutio ad ultimum teruncium usque sequatur.  
 Secus tamen existimem eò casu, quò ipsi Creditores vel  
 saltem major eorum pars consentiat, L. f. sub fin. C. qui bon.  
 ced. poss. tunc enim illis ita volentibus, per subsequutam  
 Principis confirmationem nulla injuria inferitur, arg. l. i.  
 §. 5. in f. ff. de Injur. Sicuti ergo Creditores, fraudulentò  
 etiam debitori planè donare ac remittere queant debi-  
 tum, ita ei ad comparanda solvendi media periculo suo  
 utique tempus concedere possunt. Confer. omninò Carpov.  
 ad dict. Const. P. 11. def. 6. & L. 21. ff. de R. J. capit. 53. cod. in-  
 610. add. Strach. de Decoet. Part. VI. num. 20. Corbmann. in Com-  
 ment. suo ad Cod. Lib. 1. tit. 19. n. 23.

## VIII.

Caterum Decoetores vivis coloribus depingit ac  
 varios illorum decipiendi modos designat Besold. in The-  
 saur. Pract. sub verb. Banquerout. r. r. his ferè formalibus;  
 Eos nempe diligentissimè nundinas præ alijs famo-  
 siores atque solennes, ut Francofurtenses, Lipsienses,  
 Numburgenses visitare, inibi ab uno & altero cive mox  
 100. vel 1000. flor. mutuò sumentes, merces hâc condi-  
 tione emere, ut instantibus hisce nundinis dimidiam  
 partem, & alteram adproximè futurasolvere velint. 2)  
 Esse grandiloquos, ut suis scilicet ampullis & sesquipeda-  
 libus verbis Creditores, ceu hamò pisces capiant. 3) Tur-  
 gidulos, superbos in vestitu & in convivijs. 4) Prodigos,  
 aut si mavis liberales & magnificos apprimè in extruendis  
 ædificijs splendidioribus. 5) Assatu svaves, ad amicitiam  
 C 2

cujus-

cujusvis se insinuantes & quæ porro addit verba: Der  
 Banqueroutturer Fallacia sind nicht zuergründen. *vid. ibid.*  
*allegat. Zorer. Part. i. quæst. 10. num. 680.* Incidenter hic  
 quæstio movetur: an tali, si etiam sufficienter cavere veller,  
 exceptio moratoria profutura sit? Id quod videtur dispo-  
 situm in *Recess. Imper. Ratib. de Ab. 1654. verb.*

Wäre es aber/ daß fünffstens der debitor in solchen Stan-  
 de begriffen/ oder darcin gerieth/ daß er das Seinige  
 nun muthwillig verzehere/ oder seinen Sachen also  
 schlecht vorstände/ daß keine Hoffnung zur Besserung  
 und seinen Aufnehmen vorhanden/ so soll er erst besage-  
 ten beneficij der particular Bezahlung und des An-  
 stands der Zeit nicht zugenieffen haben/ es wäre dann  
 daß er auff andere Wege/ dem bey solcher Bewand-  
 niß in Gefahr stehenden Creditori gnugsame Cau-  
 tion leisten würde.

Quod tamē cum grano salis accipiendum venit, & hæc limi-  
 tationē intelligi debet, si Creditor oblatam cautionem ac-  
 ceptare velit, vel saltem ad debitores decoquentes tunc  
 temporis existentes, & bona sua temerariē dissipando  
 & dilacerando profundentes restringendum erit, ut tur-  
 bandæ pacis & publicæ tranquillitatis metus incutere-  
 tur, si ad debitorum solutionem nimis rigorosē compellere-  
 rentur, igitur pro illa conservanda cautionis præstatio-  
 nem ipsis etiam concessam esse colligi potest *ex causabu-  
 jus Recess. finali §. 170. ubi.*

Damit aus denen zwischen ihnen und den Gläubigern ein-  
 gekommenen Klagen und Streitigkeiten nicht neue  
 gefährliche Unruhe und Weiterungen im Reiche ent-  
 stehen möchte/ item: Folgende Reichs-  
 Ordnung zu der allgemeinen Wohlfahrt so dann der  
 Gläu-

Gläubiger und Schuldner besseren Versicherung/und damit man beyderseits in Fried und Ruhe auch Einigkeit bey einander stehen und bleiben möge/entschlossen.

Idcirco ob rationis disparitatem illa constitutio ad modernos decoctores haud extendi, neque ad ipsorum instantiam sub praestatione cautionis, creditoribus inuitis, dilatio solutionis ac Exceptio moratoria per Rescriptum indulgenda, sed potius executive ad satisfactionem compellendi, & ad indicandum, an in fraudem creditorum bona alienaverint vel cesserint, juramento vel torturâ adstringendi erunt. *vid. Berlisch. P. 3. Dec. 33. n. 6. & seqq.* ubi notand. præjudicium:

Daß allen Umständen nach die Cession welche zwischen Z. L. an einem und N. P. Erben an andern Theil vorgangen für nichtig und unbeständig zuachten. Und demnach solche billig zu cassiren und aufzuheben/es wolle dann beydes der Cedent und Cessionarius mit einem Eyde erhalten und darthun/daß hierunter nichts versängl. und den andern Creditoribus zum Nachtheil vorgelauffen / uff solchen Fall würden N. P. Erben bey solcher Cession billig gelassen und geschüzet.

Imò fallitis etiam in illis, quæ ante fallimentum fecerunt in damnum creditorum, non creditur, *Tusch. Tit. 2. verb. Decoet. Conclus. 105. n. 4.* si ejusmodi cessiones & contractus paulò ante fallimentum sunt celebrati, quoniam paria sunt fallitum esse, sive existere in limine fallimenti & decoctionis, *arg. l. 6. ff. de his, qui satisd. cog.* imprimis si cessio vel obligatio fraudulenter in damnum aliorum creditorum facta esse præsumitur, & fallitus de fuga suspectus seu fugitivus existit, quantitas tamen mille fuit *vid. Berlisch. ibid. n. 10. seqq.* ubi aliud adhuc citat præjudicium. Quales falliti in Saxonia olim etiam ad manus

Cre-

Creditorum traditi fuerunt: Dasß Best. Vermöge gemris-  
nen Sächsl. Rechten/die Schuld abzuverdiereu / oder in  
Banden und Gefängnißen/abzußisen/dem Kr. nicht un-  
billig an die Hand gegeben werde. V. N. W. vid. Carpz,  
*supr. cit. loc. def. 2. § seqq.*

**IX.**

Præterea quaritur & controvertitur: An eiusmodi  
Exceptio Moratoria debitoris Fidejussori competat? Hic  
in aprico & cognitum est, quoniam tale Rescriptum in-  
tuitu personæ à Principe forsan commiseratione vel alia  
quacunque causa adacto conceditur, virtutem ejus de-  
bitoris personam egredi & ad aliam extendi haud posse, ut  
*patet ex L. 68. ff. de R. J. L. 7. de Except. Et L. 24. ff. de  
Rejud. add. Freyer in Tr. de Solut. c. 9. n. 53. ubi negantium  
Dd. opinionem fufius tradit.* Creditor quippe in secu-  
ritatem debiti fidejussorem accipit, atque in illum even-  
tum etiam fidejubens suam interponit fidem, ut si debi-  
tor principalis fortè fortunâ bonis suis labi & sic non am-  
plius solvendo existere contigerit, sicuti in illis evenit,  
qui ad rescripta moratoria confugiunt, securitas credito-  
ri in ipsius persona omnimodo quærenda sit, *arg. S. ult.  
J. de Replicat. in f.* Equidem ipsa Rescriptorum indo-  
les id infert; Sunt enim Privilegia, quorum interpretatio,  
si de præjudicio tertij, ut hoc loco Creditoris, agitur, non  
admittit extensionem ad personas nec nominatas, & sic  
strictissimè fieri debet. *c. 34. X. de Rescript. l. 38. C. de in-  
off. Test. l. 2. C. de LL. Raucbb. Dec. 2. q. 7. n. 36.* Planè,  
si fidejussoris quoque in Rescripto facta sit mentio, aliud  
dicendum, *Hering. de Fidej. cap. 27. n. 77.* Quamvis in  
contrariam sententiam abeat *Menoch. de Arbitr. Jud. lib.  
2. cent. 3. cap. 203. n. 26.* Tamen nullum dubium est, Prin-  
cipem, si velit, in ejus quoque favorem tale extendere  
posse,

posse. v. *Faber in C. lib. 1. c. 9. d. 14. n. 2.* Sola verò præcedens debitoris in libello supplici facta petitio, ut ad fideiussorem quoque extendatur hæud sufficiens est, si generale forsan Rescriptum infecutum fuerit. Neque hoc admittendum puto, quod communiter Dd. tradunt, per oppositam Except. Excusionis, alias tutissimum refugium *Nov. 4. c. 1.* liberare se ab instituta actione hoc casu debitorum fideiubentem posse. Propterea quod durantibus inducijs moratorijs excussio principalis debitoris locum non inueniat. Sanè enim hõc modò nec debitoris, Litteris respirationis muniti Fideiussor validè conveniri posset, cum semper ei in promptu sit talem dilatoriam opponere, & sic hujus intuitu perinde esset, ac si privilegio nullo debitor ad differendam solutionem gauderet; atq; adeò ad ejus præsidium, ne quidem indirectè & via obliqua illum confugere par est. Notissimi quippe juris, exceptioni Excusionis non esse locum eo casu, quo innotuit, principalem debitorem esse inopem & non amplius solvendo, *Carpz. P. 2. C. 18. d. 12. § 15. Berlich. P. 2. Concl. 24.* quod in debitore, qui beneficio Principis contra creditores solutionem urgentes se tuetur, nullum potest esse dubium.

## X.

Nec majori cum effectu Exceptionem cedendarum actionum creditori fideiussor opponet. Quod enim censeant quidam Pragmaticorum, cessionem istam in nostro foro fieri non posse, quia conveniri debitor Rescripto morat, suffultus nequeat, illud parum nervorum habet. Ceduntur nempe à Creditore actiones, quas habet, eò modò, quò ipsi competant, in huncce finem, ut fideiussor factà Creditori solutione expectare teneatur, donec  
tempus

tempus dilationis præterlapsum, & tunc regressum suum contra debitorem principalem instituere possit. Contrarium statuentes frustra provocant *ad Auth. Present. C. de Fidej.* Ex illa enim nihil aliud consequitur, quàm fidejussorem, præsentem debitore principali, contra Creditores Excepti Ordinis se tueri posse, reò verò absente eundem rectè conveniri, nisi tempus, intra quod eum primò conveniendum deducat, petat à Judice definiti, unde ferè nihil ex hoc colligi potest; Aliud verò asserendum, si dilatio debitori ab ipsis creditoribus indulta sit, ea fidejussori quoque proderit, cum hoc casu factum ipsorum Creditorum concurrat, quod in fidejussoris fraudem cedere non oportet, quia ipsi non modo in culpa, quod excusio principalis debet. locum non inveniat, adeoq; actiones contra eundem fidejussorè competentes factæ sint deteriores *conf. Farinac. Tr. de carcer. lib. 1. tit. 4. qv. 29. n. 26.* Eadem ratione & fundamento Exceptio illa, si debitor intra tempus præfinitum fato præreptus fuerit, heredibus ejus non competit, *l. 68. ff. de R. J.* quia indulgentum privilegium merè fuit personale, ut liquet ex antecedentibus, & ratio tale concedendi in heredibus variè possit cessare ut hujus industriâ facultates amissæ, non etiam illorum, faciliùs restaurari posse, urgentior causa & spes concepta Indulgenti fuerit. *Mew. P. 5. Dec. 1. Et in Discuss. levam, inop. debit. c. 3. n. 207. Coler. in Proc. exec. P. 1. c. 4. n. 14.* Nisi, quod toties monitum, debitor hoc expressis in libello supplici petierit, & Princeps etiam consenserit, ut mentio illorum in Rescripto fieret & ad eos insimul extenderetur *Hillig. ad Donell. lib. 77. c. 9. lit. Bb.*

## XI.

Locum Exceptio moratoria non invenit contra A-  
cto-



florem alimenta petentem, *Hunn. in Encyclop. Jur. p. 2.*  
*l. 28. n. 12.* cum fames acutissimus ensis, venter non pa-  
 tiatur dilationem & nemo ventō vivere præsumat *L.*  
*f. C. de Aliment.* Quare maximum merentur favorem,  
*Menoch. A. J. 2. lib. 2. cent. 1. cas. 203. n. 24.* & eorum cau-  
 sa cognitione semper summaria definienda venit, *l. 5. §.*  
*8. ff. de agnos. & al. lib. 1. 2. in f. ff. de rejud. l. 5. §. 12. ff. de Op.*  
*nov. nanc. l. 8. ff. de aliment. vel cibari. leg. verb. fin.* Adeo ut nul-  
 la vel aequitatis species, vel ratio commiserationis istorum  
 exactionem impedire debeat sed momentariam omnino  
 praeseferant curam *tit. l. 8. de alim. Petr. Surd. in Tr. de Ali-*  
*ment. tit. 2. Priv. 171. n. 2.* Porro haud exiguus favor pro  
 Dote militat, ut, seandem foeminis omnimodo praestari  
 conservarique publice intersit, *L. fam. 1. ff. solut. matrim.*  
 Hinc debitorem ad hanc solvendam conventum, Exce-  
 ptione hac moratoria se tueri non posse, luculenter appa-  
 ret, *l. 1. un. §. 18. C. de Rej. Ux. Act. & Nic. de Pascrib. Tr. de*  
*priv. script. lib. 2. c. 54. n. 62.* Nullatenus enim Rescripta  
 Gratia ad causas privilegiatas, quas nominatas non com-  
 prehendant, extendi oportet, sed ut antea monui, qua-  
 tenus tertio praedjudicant stricte interpretanda esse *l. 2. §.*  
*10. & 16. ff. de qd. in loc. publ. Carpz. P. 2. Dec. 103. n. 13.*  
 & 14. Ex praesumpta quoque Principis voluntate vigor  
 ejusmodi Exceptionis moram inducentis, contra Fisca-  
 lem & fisci debita, ut sunt census, tributa, &c. non pertinet,  
 quae proinde, nisi aliud expressum, excepta utique cen-  
 sentur *v. l. 2. §. 4. ff. ne quid in loc. publ.* eorumdemq;  
 solutionem, quantum fieri potest, maturari publica effla-  
 gitat necessitas, *Nov. 17. C. 7. §. 1. & l. 3. C. de Primipil.*  
 Sic nec Venditor hac repelli potest, cum pretium ven-  
 ditarum rerum exigit, quia & re & pecunia hoc modo

carere bonæ fidei in totum repugnaret *l. 50. ff. de Act. Emi & l. 5. C. cod.*

## XII.

Ast quæritur: Si quis pendente lite Rescriptum moratorium à Principe impetraverit, an eodem, si litis perentitiæ mentionem non fecit impetrans, ad sententiam definitivam & condemnatoriam vel Executionem declinandam contra Creditores uti queat? Et facile apparet, Exceptionem moratoriam ex Rescripto tali opponere non posse debitorem, quia nullum Privilegium, super ea, quæ jam agitur causa, petendum à Principe, & impetratum pro Subreptitio habendum, proptereaque Judicem poenâ decem librarum auri, si vetuerit precum argui falsitatem puniendum per *L. 3. C. Si Contr. jus. vel util.* ut illò omnis etiam vis deneganda sit *Nov. 117. c. 1. l. 1. & 2. C. ut lis. pendens.* Quo tempore vero lis pendere incipiat, disputatur quotidie inter Dd. cum alij per solam Citationem, alij per Litiscontestationem demum Litispendentiam induci existiment; Sed ego autumo, hic distingvendum esse inter *Jus Civile & Canonicum*, illo enim notum est, Litem non prius dici pendere, quàm à Reo ad libellum Actoris responsum sit, & ita judicium acceptum dicatur, *arg. l. 31. ff. de Jud. l. 1. C. cod. l. 35. ff. de Usur.* Hòc nimirum Canonico *secundum Clement. fin. ut lis. pendens. nil innov.* per solam citationem legitimè insinuatam, & quæ reum de causa, propter quam in judicium vocatur, plenè instruit, litis perentitia inducitur, de qua materia per accidens hic inserta fufius *Carpzov. Lib. 2. Resp. 46. n. 18. seq. Mynsing. Cent. 4. Obs. 26. Gail. lib. 1. Obs. 29. n. 5. consili possunt.*

## XIII.

Neque Exceptio ejusmodi moratoria Pijs causis & Corporibus, ut Ecclesijs, Scholis Xenodochijs Orphanotrophijs &c.

&c. obesse debet *Vid. Rec. Imp. Ratisb. de ao. 1654. §. 174.*  
 wie es in Causis pijs & privilegiatis zuhalten ad iudicis  
 Arbitrium verwiesen seyn. *Carpz. in Asyl. d. bit. c. 4. tb.*  
*62. n. 49. Abasver. Britsch. in Obseru. Jur. Eccles. pract. Obs. 55.*  
 Sic contra Opifices, Mercenarios, & alios operarios mer-  
 cede conductos non datur, cum hac vivere & alimentis  
 capere omnino necessum habeant, idcirco illis citra dila-  
 tionem merces debita exsoluenda est, *præcipiente hoc ip-  
 sum S. Cod. Lev. 19. 13. Deut. 24. 14. seg. Matth. 10. 10. 1.*  
*Tbim. §. 18.* Quod fundamentum etiam secuta sunt LL.  
 civiles ut videre est *ex l. 5. §. 8. ff. de agnoscend. & al. lib.*  
*l. 8. ff. de aliment. & a. l. f. C. quor. Apell.* Eodem mor-  
 do contra Pupillos, Minorenes, æquè Pauperes & alias  
 miserabiles personas &c. Daß das eingewandte indultum  
 dergl. Person als Kl. selbst eximiret/und den Rechten nach  
 dßfalls nicht operiren mag. *ic. sam. L. unic. C. quando Imper.*  
*prodesse nequit, vid. modò all. Rec. §. 172. tb.* Wann der  
 Debitor vor sich selbst und die Seinigen keinen Unterhalt  
 und Rettungs. Mittel. *ic. Fab. in C. lib. 1. Tit. 9. def. 20. n. 10.*  
*Cessatariam in debito ex causa delicti Berl. P. 2. Dec. 235. n. 32.*  
*Quia delinquentes digni sunt ut in paupertate marcescant,*  
*l. 5. C. ad L. Jul. Maj.* Deinde inter omnes constat, Vasal-  
 lum, ad declinanda seruitia feudalia, quorum præstatio  
 ipsi incumbit frustra præsidium in hac exceptione collo-  
 care; cum talis præstatio de natura feudi sit, quam Prin-  
 ceptis tacite immutasse non præsumitur, *v. 2. f. 23. add. l. 3.*  
*§. 19. ff. de acquir. poss.*

## XIV.

Porrò, ne utensilibus necessarijs civitas egeat, præbi-  
 tione illarū destituatur & annona flagelletur *l. 2. ff. de Nund.*  
 in debitis ex venditione Eduliorum & rerum commestibi-  
 liliū in quotidianum usum pro hominibus & pecori-

bus in foro venalium, was zur Leibes Nahrung und Noth, durfft gehöret / it. in mercede locationis & pensionibus alijs, quæ maximè privilegiata, per *Auth. Sed jam cautum C. deposit. C. Nov. 88. cap. 7.* regulariter vim nullam exercit. Ita ad debita futura & post Rescripti concessionem contracta hæc Exceptio moratoria nullatenus pertinet, quia de his, cum nondum existent, Princeps cogitare non potuit, *a. l. 28. s. 2. ff. de libert. legat.* Unde rarè Rescriptum, ne ad peccandum invitet & occasionem delinquendi præbeat, ad negotia futura extensum indulgetur. *Menoch. A. J. 2. lib. 2. cent. 1. cas. 203. n. 24.* Sed hæc obiter attigisse sufficiat, cum satis prolixè cit. Author. & alij passim hos, quib. hæc Except. benef. morat. prodesse nequeat, recensuerint.

## XV.

Sed liceat hic mentionem facere Compensationis, an illa vel debitori principali vel etiam fidejussori permit-tenda? Et respondetur, illam, his casibus, quibus diversa personæ, sed una quodammodo obligatio, denegari vix posse, quoniam is, qui exigere debitum prohibetur, non statim præcludatur jure suo retentionis, cum planè aliud sit suum exigere, aliud retentionis jure uti seu retinere, *l. 10. ff. de O. C. A. l. 2. 3. C. 6. ff. de Compens.* Sic & fidejussor ex causa fidejussionis conventus non solum proprium sed debitum principalis debitoris in compensationem deducere potest, ex connexitate & dependentia fidejussoriae obligationis ex principali *l. 4. C. 5. ff. de Compens. Brunnem. Repetit. Paratit. Wesenb. Tit. de compens. 43. Harprecht. Comment. ad S. 6. J. de fidej. n. 12.* Et quoties reo principali competit exceptio compensationis, toties eo uti potest & fidejussor isto quoque invito, ut tradit *Mev. Part.*

*Part. 7. Decis. 52. in not. num. 1.* Quare tempus Exactionis iuspensum compensationem minime excludit. Econtra, si vicissim fidejussori aliquid debeat reus, principalis compensatione uti nequit. Nec fidejussor à debitore pro quo fidejussit, ob aliquod debitum conventus, compensationem objicere valet, antequam ex causa fidejussionis pro isto solverit. *Carpz. Lib. 2. Respons. 103. n. 5.*

## XVI.

Desuper autem quæritur, si quis juramento confirmaverit solutionem, an & tunc compensationem objicere possit? Et in diversas hinc abeunt Dd. opiniones: Affirmativa adhæret *Bartol. in l. 15. ff. rem rat. hab. num. 8. Tyn-dar. de Compens. art. 7. num. 13. Molina de Just. & Jur. Tom. II. Tract. 2. Diss. 560. num. 7. & seqq.* Negantium castra sequuntur *Sebast. Medic. de Compens. p. 1. qv. 25. num. 1. Freyer. de Solut. Membr. 4. num. 114. Ant. Natta Consil. 54. num. 1. seqq.* Sed videtur, quætionem hanc magis in facto quam in jure consistere, præcipuè si consideretur jurantis intentio, an illius, cui juratum, favorem principaliter respexerit? & quis denegat solutioni locum? an verò, ut demum ætatiorem reddat obligationem suam, absque animo se exceptione hac compensationis privandi? & nullus dubitat, eandem ei non licere; cum juramenta ultra jurantium intentionem non operentur, omnisque actus sit intelligendus Rebus sic stantibus. *l. 38. pr. ff. de Solut. & Liberat. vid. latius Zanger. P. 3. cap. 8. num. 14. Margvard. Tract. de Jur. Mercat. lib. 3. cap. 8. num. 57. Bachov. ad Treutl. Vol. 1. Diss. 25. th. n. lit. A.* Merentur hinc referri verba *Joh. de Lugo de Just. & Jur. Tom. 1. Diss. 16. Sect. 6. num. 167.* inquitentis: Si promisisti explicitè vel implicitè, non solum solvere, sed etiam non uti compensatione, plane juramentum ad id totum obligat; Si autem solum promisisti solvere, & hoc juramen-

ed confirmasti, adhuc poteris compensatione uti. In Saxonia quoque contra Instrumentum Gvarentigiatum, quod inibi paratam Executionem habet, in prima & secunda instantia, imò sententiam in ipsa Executione locum invenit Compensatio. *Carpzov. P. 1. Const. 8. def. 17. § 29. & Moller ad Const. Sax. P. 1. c. 8. num. 8. ubi ita in Judicio Appell. in causa J. S. contra C. S. Anno 1683. pronunciatum fuit: Daß Bestl. mit der angegebenen Liquidation in ipsa Executione noch gehöret werden/und was Er alsdann in continenti wird liquid machen/und mit unverwerffl. richtigen Documenten verificiren können/an der libellirten Forderung zu compensiren un zu kürzen wohl befügt seynsoll/ıc & alibi: Sonst bleibet ihme frey/dasjenige/was er hierauf bezahlt zu haben vermeinet/in vel ante Exec. erweisl. machen kan/zu decurtiren ıc.*

## XVII.

Similiter Creditorem, qui per juramentum debitoris sibi prospexit, per Exceptionem hanc morat. à limine judicij repelli haud posse, plurimi Dd. asserunt. Manifestum enim est, quemlibet favori suo & beneficio etiam huic pro se introducto rectè renunciare, *l. pon. C. de Pañ. l. 41. ff. de Minor. l. 34. C. de Transact.* Ut tota die in instrumentis obligationum accidit, & cuique integrum est; frustra tamen deinceps illud iterum in auxilium vocatur, *l. 5. C. de Obl. §. 167.* cum jurium renunciatorum non detur regressus, *l. 5. C. de condit. inseri. §. L. 11. C. de Reheredit.* Quod multò magis tum obtinebit, quando mediante juramento renunciatio hæc facta est, *c. 9. X. de Arbitr. c. 9. § 28. X. de Jurej. C. 2. de Pañ. in 6to. Hilliger ad Donell. lib. 22. c. 9. lit. M.* Promissio quippe jurata summa Religione custodienda & servanda est. Ac idè Princeps non censendus, sacitè vim dati Rescripti ad differendum actus jurati eventum

tum porrigere voluisse, *arg. C. 19. X. de Rescript.* Contra-  
riunt tamen asserendum est, quando Clausula debitori  
maximè proficua, *non obstante renunciatione seu jurā-*  
*mento*, Rescripto inserta sit. Hoc quippe casu voluntas  
Principis manifesta dubium nullum relinquit, ut necessa-  
rio ad jurati quoque debiti solutionem, præsertim si debi-  
tor in maxima paupertate constitutus & ita impossibilitas  
obsit, *a. l. 184. ff. de R. J. & C. Nemo Eod. in 610. differendam*  
*valeret. Carpz. in Assl. deb. tb. 61. num. 52. add. Knieben.*  
*Comment. de Sax. non provoc. jure cap. 5. num. 61. Ut &*  
*Sreyer de Solut. cap. 9. num. 34. & 35. notab.* Cæterum, quod  
aliqui sufficere existiment, si tantum jurisjurandi mentio  
in precibus impetrantis facta sit, admitti non potest, cum  
hæc res maximi sit præjudicij, & aliis non quid petitur,  
sed quid impetratum sit, à Principe respiciendum veniat,  
ac Privilegium vim suam à concessione accipiat, *a. §. 4. J.*  
*quib. mod. jus Patr. pot. solv.* Et posse tale Rescriptum in  
casu, quo ad solvendum certo tempore debitor jureju-  
rando sese adstrinxit, à Principe concedi, ambigendum  
non est, cum hujus planè relaxandi potestatem habeat,  
*Carpz. supr. cit. loc.* Equidem in Imperio Rom. Germ.  
Judicio Camerali facultas hæc data est; *ut patet ex Ordi-*  
*nat. Camer. Part. 11. Tit. 24. Schilt. in Prax. Jur. Rom. Exerc. 23.*  
*§. 72.* Et singulis Statibus in suis Territoriis e. g. in Sa-  
xonia Electori. *vid. Part. 11. Const. Elect. 36. ubi Carpzov. Def.*  
*1. num. 6. seqq. & Zang. de Except. P. 2. c. 1. num. 426. seqq.* Licet  
alii dissentiant, hanc à juramenti nexu absolvendi pote-  
statem soli Judici Ecclesiastico vindicantes, *Fachin. lib. 3.*  
*Controv. c. 13. Trentac. Var. Resolut. lib. 3. resol. 1. num. 12.*  
Contrarium tamen obtinet *Carpzov. in Jurispr. sua Consistor.*  
*Lib. 3. tit. 3. def. 2. num. 21.*

Quò modò autem & Formà illa Exceptio mediante Rescripto concedi & acquiri debeat, ex Reecessibus Imperii supra allegatis & Reformat. Polit. de Aol. 1548. & 1577. add. Text. in Jur. Publ. Tit. 12. num. 602. Rhet. in Jur. Publ. lib. 11. Tit. 9. §. 24. Grexer de Solut. cap. 9. num. 45. colligendum erit, ubi tradunt præter generalia requisita, ut sunt legitima beneficii petendi causa, debiti qualitas, tempus, quo debitum contractum, & difficultas, seu impossibilitas potius, debitum accumulatis æris alieni oneribus exsolvendi, in super Informatorium seu Testimonium Magistratus, sub quo debitor domicilium habet, exhibeat & transmittat, quò Superior certioratur, *preces oblatas veritate miri*, l. 7. C. de divers. Rescript. & c. 2. X. eod. sub hoc certo proposito, ut, si interea temporis vicissim sua debita exigat, vel alio quocunque modo ad pinguiorem fortunam redeat, omnia restaurare, & sic se ab ære alieno liberare possit. *conf. Carpzov. in Asyl. debit. cap. 4. post. 61. num. 24.* Deinde Cautio requiritur, præsertim si à Creditoribus exigatur, quam debitor, ut, ne Rescripto Moratorio ad defraudandos creditores abutatur, idoneam ac sufficientem eamque per Fidejussores, in quibus major securitas Creditori quaesita est, *a. S. f. J. de Replie. præstare juberetur, in L. 4. C. de prec. Imp. offer.* Quæ lacinia illa est, quam supra à Triboniano legi huic assutam notavi. Neque discrimen, quod nonnulli hîc constituunt, *vid Berlich. Dec. 296. num. 1. Fab. de Error. Pragm. Dec. 25. err. 3. n. 2.* Inter annalem & quinquennalem dilationem attendendum, cum Lex non distingvat, atque adeo nec nobis citra ejus mentem distingvendum sit, l. 8. ff. de Publ. act. ubi Godofr. Sed hæc cautio rùm demùm erit præstanda, si eandem petierint Creditores, quem-



quemadmodum nec hinc, nisi imploratus Judex subvenit;  
*a. l. 69. §. 3. ff. de Legat. 2. & l. 2. §. 1. ff. quod Legat.* Neque  
 hac cavendi necessitas, si exigatur, à Superiore remittenda  
 est, quippe quod in magnum Creditorum præjudicium  
 tenderet, ut postea illis, finita dilatione contra fugitivum  
 aut penitus dilapidatis bonis inopem, nil nisi actio relin-  
 quatur inanis *a. l. 8. pr. ff. de pret. stipul. & l. 6. ff. de dol. mal.*  
 Quoniam vero obaratis & infelicibus debitoribus  
 non adeò in proclivi est Fidejussores invenire, inde hodie-  
 num in foro ad juratoriam cautionem, quæ etiam legiti-  
 ma, & tum à reo in necessitatis subsidium, cum alia ab  
 ipso haberi nequeat, præstanda est *per Nov. 112. pr. verb. final.*  
 admitti soleat, *Fab. in C. lib. 1. tit. 9. def. 21. n. 4. seq.*

## XIX.

Determinatio autem temporis à Concedentis arbitrio  
 dependet, ut minus sit, Dd. quosdam Principis potesta-  
 tem hic circumscribere, & certos limites, ob damnum for-  
 san, quod subire necessum haberent Creditores, irrepara-  
 bile vel alias causas &c. definire ausos, *Fab. dict. loc. n. 3. seq.*  
*Hering. de Fidej. c. 5. n. 135. Nic. de Passer. Tr. de script. privat. lib.*  
*3. qv. 62. n. 5.* At quicquid hujus sit, & brevioris & lon-  
 gioris ex singularibus circumstantiis Quinquennio, si-  
 cuti plurimum hodie fit, concedi posse, manifestum est  
 & constat ex *Schroed. in Introd. Jur. Publ. Part. Spec. sect. 1. c. 17.*  
*et Rhet. Inst. Jur. Publ. lib. 2. Tit. 9. §. 12.* Quemadmodum  
 etiam, si justa & urgens causa subsit, ob summam scilicet  
 æquitatis rationem plus quam simplici vice dilatio impe-  
 trari potest *a. l. 7. & 10. ff. de feriis.* Ubi tamen consul-  
 tum, ut debitor in secundo supplicato prioris dilationis  
 mentionem faciat, ne Rescriptum posterius subreptitium  
 videatur *arg. C. 3. & 20. X. de Rescript.* Cùm alias re-

E

GU

gulariter in causis pecuniarijs non nisi semel dilationem indulgere oporteat *cit. LL. de feriis*. Nec tempus concessa dilationis à die praesentationis sed emissi rescripti currere probat *cap. 7. X. de Rescript.* Nisi fortasse debitori legitimum impedimentum, quò minus impetratò Rescripto uteretur, obstitit.

## XX.

Opponitur tandem efficaciter Exceptio moratoria instar aliarum dilatoriarum ante litem contestatam, ut animus illà utendi declaretur, mutat. mutand hoc modò: *Beßl.* kann nicht in Abrede seyn / daß er Kl. mit. . Nthl. verhasstet / und würde er diese Schuld vorlängst gerne abgetragen haben / wann nicht das jüngst ihm zugestandenellnglück :c. Umschlag deß Handels und andere Ursachen / deßhalb er in ziemlichen Verlust und Abgang seiner Nahrung und Credits gerathen / daran verhindert hätten ; deßwegen Er sich genöthiget befunden / bey Sr. Königl. auch Churfürstl. Durchl. umb ein Rescriptum Moratorium anzuhalten / welches ihme auch allergnädigst wie anben zusehen / conferiret worden. Lebet dahero der sichern Hoffnung / es werde Kl. so lange in Gedult stehen / biß Er sich recolligiret / und zu bessern Vermögen gelanget. Solte Er aber ferner weit in ihn dringen / so will Er hiemit Exceptionem Moratoriam ihme opponiret / *Beßl.* bey dem allergnädigst erhaltenen Indulto Moratorio zu schützen / und Kl. mit seinem Gesuch abzuweisen / unterdienstlich gebethen haben.

*vid. Dn. Schvvend. ad Fibig pag. m. 364.* Nam sicuti compensatio, licet ipso jure fieri dicatur, priusquam objicitur, nullum producit effectum juxt. *Mev. Part. 7. Dec. 52. n. 10.* Ita quoque hæc vim dilatoriam ante oppo-

tio-

tionem inducere nequit; dilatio autem tam diu regulariter durat, donec tempus in Rescripto præfixum præterlapsum sit, ut interea omnis agendi cupiditas cum ipso solutionis impetratione, in suspenso quasi relinquatur. Deinde etiam cursum usurarum intermedio tempore, sistere debet, quæ cum ipsa sorte, elapso dilationis concessæ tempore demum exsolvendæ veniunt, cum ejus effectus non nisi in differenda ad tempus creditorum actione sese exerat, & mera sit dilatio non ullius sive sortis sive accessionis ablatio *vid. Brunnem. ad L. 2. C. de prec. Imp. offer. n. 4. ubi allegat dissent. Carpz. in Asyl. debit. cap. 4. n. 39. qui vero postea contrarium statuens P. 2. Const. 30. def. 46. in fin. præjudicium citat, & n. 10. & 14. limitationem adjicit*, quod debeantur Usuræ, si per stipulationem promissæ, aut interea debitor emolumentum ex pecunia creditorum acceperit. Ideoque in ipsa obligationis natura ejusque accessorij, quò usuræ etiam communerandæ, nihil immutari potest, cum alias, præsertim si ad longius tempus induciæ concessæ sint maximum Creditores detrimentum ex sua officiositate, quæ tamen nemini damnosa esse debet, incurrerent *l. 7. ff. quand. Testam. aper. quod maxime à Principum Rescriptis alienum esse debet, l. 8. ff. de Prætor. stipul.* Ne unius beneficium cum alterius dispendio conjungatur, *l. 14. ff. de condict. indeb. & l. 206. ff. de R. J. aut quocunque modo alicuj jus suum detrahatur, §. ult. J. de his qui sunt sui vel al. jur. vid. Molin. de Usuris qu. 82. num. 684. Fab. in C. tit. 9. Def. 8. Finckelth. Obs. 47.* Si verò ipse creditor dilationem concesserit debitori vel initio contractus, sive postea, cursum usurarum cessare evincit *Greyer supr. all. cap. 9. num. 38. ubi alios citat.* Nil quicquam præterea huc facit, quod quidam censeant,

hanc quæstionem parùm utilitatis habere, cum de Jure Can. usuræ planè sint prohibita ac interdicta; Quippe usuras non mordentes, sed modicas Germaniæ moribus tolerari & publ. Imperij LL. approbatas esse, nullus est qui ignorat, *vid. Recess. Imp. de Anno 1500. 1530. 1548. & 1577. sub tit. von Wucherl. Contracten etc. id. Recess. Wormalt. do. 1586. & alibi passim. add. Moller. lib. 4. semestr. c. 17. num. 2. & Decis. Elect. Sax. nov. XXX. in fin. ibique Philipp. in Ob- serv. suis.*

## XXI.

Et hoc de Præscriptione certum est, eandem durante hâc dilatione quiescere seu dormire, ad eum effectum, ut si Creditor v. g. per 25. annos debitum haud exegerit, concessis deinceps Debitoris quinquennialibus inducijs, à petitione sua haud excludatur, neque enim ei, qui agere non valet, currit præscriptio, *l. 1. §. 2. C. de ann. Except.* cum penes creditorem hoc casu forsan nulla negligentia culpa resideat, cui tamen soli æquitas præscriptionum im- nititur. Accedit præsumpta in Superiore voluntas, qui nimis liberalis in concedendis talibus Rescriptis, qui- bus creditor ignocetur & haud leve præjudicium affertur, fuisse non censetur, *l. f. C. de locat. prædior. civil. conf. l. f. C. qui bon. ced. poss.*

## XXII.

Tandem etiam Exceptio Moratoria non solum A- ctori in ordinario, aut executivo Processu, ex instru- mento quarentigato paratam executionem habente, re- cte opponitur, ne hujus effectus ad hanc porrigatur. Ete- nim non ambigendum videtur, contra ejusmodi docu- mentum propter executionis celeritatem, minò moram de-

debitori, si iusta causa subest, indulgeri oportere. Licet in Saxonis terris non admittatur, in Processu Executivo alia Exceptio, quam cuius veritas in continenti sit liquida, per Dec. Elect. Saxon. Nov. 2. ubi Philipp. Observat. 1. n. 11. segg. Propterea eò magis opera debitori danda, ut ad manus Rescriptum Moratorium, quò Exceptionem hanc suam ante litis contestationem, vel recognitionem demonstrat, habeat; ne, si turbida fortasse videatur, in reconventionem rejiciatur, & hoc ipsò, maximò ejusdem fructu & effectu excidat, novæque litis difficultatibus implicetur, vid. Coler. supr. cit. Proc. Exec. P. 1. c. 9. n. 33. Moller. lib. 2. semestr. cap. 6. pr. An verò in ipsa Executione hæc Exceptio locum inveniatur, disceptari solet. Quod qui affirmant, unicum sibi fundamentum quarunt in l. 5. C. de Rejud. quæ tamèn, si mens ejus rectè examinatur, parùm planè ad institutum horum facit. Nil enim aliud quicquam in ea dicitur, quàm eum, qui dilationem ad faciendam solutionem petit, sententiæ acquiescisse censeri, & auctoritatem rerum judicatarum non pati, ut quæ semel finitæ sunt, instaurentur. Quocirca certum est, in Executione locum Exceptioni huic moratorix non relinqui, add. l. f. C. ut lit. pendens. l. 65. §. 2. ff. ad SCum. Trebell. Knieb. in Comment. de Sax. non prov. Jur. verb. Ducum, cap. 5. n. 517. Neque ullibi eam in numerum illarum exceptionum, quas in ipsa Executione opponere licet, relatam esse, innotuit, sed potius dilatoria est, ac idèò, sicuri antea memoratum, ante litis contestationem objici debet. Idcirco sibi imputet, qui eandem legitimo tempore cum posset opponere, prætermisit.

## XXIII.

Sicuti autem Moratorix Exceptioni effectus in-

ordinario & executivo Processu sese exerit , ut præcedent. §. dictum, ita minimè impedimento est , ut effectum contrarium in debitoris præjudicium gignere valeat, quò minus hic, debitores suos convenire & debita ab ipsis exigere queat. In eo enim præcipua hujus beneficii utilitas & efficacia versatur , ut durante dilatione , media solvendi circumspicere , pecuniam comparare, suosque debitores excutere possit. Præsertim cum ipse inops locupletes forlasse debitores habeat, quibus porro indulgendum non est, *arg. l. 1. §. 2. ff. de Const. Princ. Coler. de Proc. Exec. P. 1. c. 9. num. 14. & Fab. in C. lib. 1. tit. 9. def. 19.* Qui certè, si eodem beneficio se dignos existimarent, integrum habuissent idem à Principe petendi. Et est hujusmodi Privilegiorum ea indoles quasi personalium, quæ privilegiati personam non egrediuntur, dum nec, ut toties commonefactum , effectus suos ad alias vel etiam exteras personas extendunt. *Mev. in Discuss. Lev. inop. debit. cap. 3. num. 207.* Frustrà ergo in contradictorio affertur decantata illa edicti Regula , quæ eo jure , quod quisque in alterum statuerit , ipse quoque uti jubeatur , fallit enim hæc, quoties Jus illud speciali Principis rescripto concessum est. *l. 68. ff. de R. J. Hum. in Encyclop. Jur. P. 2. tit. 28. cap. n. 7.*

## XXIV.

Ultimò notandum, effectum morat. Exceptionis etiam ex consensu creditorum, quamvis perrarò , attribui, ac idèò, si major eorum pars dilationem debitori concesserit , eandem quoque porrigi & prorogari in reliquos, licet renitentes creditores, posse, & majoritas ex cumulo & debiti causa præprimistrinatur , si tamen unus aliis omni-

mnibus gravior in summa debiti inveniatur, cæteris in unum coadunatis & debitis eorum computatis, ipse illos antecellit. Ubi autem par debiti quantitas & dispar creditorum numerus reperitur, amplior pars creditorum obtinet; sin verò undiquaq; æqualitas tam debiti quàm numeri creditorum emergit, tunc præferuntur, qui ad humaniorem sententiam, dilationem scilicet, inclinant, l. 19. ff. ad Municip. l. f. C. qui bon. ced. poss. Cothm. Comment. ad l. 1. C. tit. 19. num. 21. seq. Quod usque eò procedit, ut per majorem partem creditorum, non tantum chirographariis, sed etiam hypothecariis & aliis præjudicari possit, d. l. f. Quare cum singulorum Creditorum hic interfit, omnes, etiam absentes, citari oportet, arg. l. 47. pr. ff. de Rejud.

## XXV.

Quod si tamen major pars velit remittere aliquid, talis quidem remissio regulariter stringit chirographarios itemque inter eos privilegiatos, non verò hypothecarios ac alios creditores, qui videlicet arrepta in bonis debitoris obtinuerunt, conf. Carpz. Pars. 2. Const. 22. Def. 27. ubi sequens notatu dignum legere est Præjudicium:

Diemeil Balthasar Francke / und Jacob Wohl-  
erbens Wittbe bloße Chirographarij seyn/und  
wegen ihrer Schuld; Forderung in des  
Schuldners Güthern keine Hypothecam und  
dingliches Recht erlanget / so seynd sie auch  
von dem meisten Theil der Gläubiger getroffenen  
Accord zuhalten/und an ihren Forderungen pro  
rata etwas schwinden zulassen schuldig, B. R. W.  
lt. Def. 20. in causa Christiani Kofschers Lipf.  
Re-

Respons. Was aber Donat Pelsen / so zu des Schuldners Wahren einen Arrest erlanget / betreffen thut / obgleich derselbedie von andern Creditorn bewilligte Dilationem quinquennalem, dem Schuldner auch nicht verweigern kann / zc. So mag Er doch ohne Caution den erlangten Arrest wieder seinen Willen fallen zu lassen / nicht gedrungen werden / W. R. W.

Quid juris verò sit, si soli pro & contra concurrant hypothecarii, deducit & Præjudiciis declarat fuse, Berlich. P. 2. Dec. 237. 238, seqq, ubi inter alia proponit : si habeant hypothecam individuam vel priori tempore constitutam, quod reliqui vel in remissionem aut dilationem consentire debeant, cit. Dec. 38. quæ Responsum Dn. Scab. Lips. exhibet hujus tenoris:

Diemeil sie aber dennoch kein besser Recht ihrer Forderung vor den andern Gläubigern gehabt / noch durch die bey dem ersten Vertrage gerichtlich beschehene Verpfändung / welche auff alle Gläubiger zugleich gerichtet / erlanget und überkommen zc. so sind sie auch andern Gläubigern / gleich den letzten Accord zu vollziehen pflichtig. W. R. W.

Add. Tabor, in Præfat. de Præsid. debit. S. 7. fol. 254. & Freyer cap. 9. n. 31. Qui Generalem addit limitati, onem, si pactum nempe manifestam contineat iniquitatem, minorem partem ad consensuspræstationem haud astringi.

XXVI.

Consentaneum interim beneficium illud est, quò debitores in ordine ad Creditores fruuntur; quod ponitur



tur in certum tempus ad præstandam solutionem concessum; Cum enim debitor in causa civili ad solvendum, quod in iudicium deductum erat, condemnatus est, non continuo post rem iudicatam excuti atque ad faciendam solutionem adigi oporteat, quia jam olim apud Romanos certii dies designabantur, intra quos solutionem compararet debitor, aut illò spatio elapsò, actionem iudicari, aliudve remedium executivum expectaret, *l. 7 ff. de Rejud. l. 16. in ff. de Compens. l. 25. ff. de Pign. Act.* Et iure XII. Tab. spatium hoc 30. dierum fuit, ita enim earundem verba sonant: *Aris confessis, rebusque iure iudicatis, triginta dies iusti sunt: refer. Gellio Noct. Attic. lib. 20. c. 1.* Quod totum ferè hodie negotium æquo iudicis arbitrio relinquitur. *add. O. P. S. Tit. 39. §. wann aber. & l. 31. pr. ff. de Rejud. cum l. 2. ff. eod.* Propterea Imperat. Justin. in *l. f. C. de Usur. rejud.* etiam bimestris & post hæc quadrimestris spatij meminit. Quin tamen debitor neglecto hoc tempore, creditori suo citius satisfacere possit, cum in gratiam ejus præprimis spatium constitutum sit, cui facile renunciet, *l. pen. C. de Pact.* non videtur incongruum. An autem Judex in favorem Creditoris terminum contrahere possit, non est eadem Dd. opinio, *vid. Coler. in Proc. Exec. P. 3. c. 6. num. 1.* De Jur. Sax addendum, quod locò bimestris & quadrimestris dilationis debitoribus Term. Sax. h. e. Septimana sex & dies unus interdum & duplicatus, ad procuranda solutionis media, constituatur, *v. Landr. Lib. 1. art. 70. & lib. 2. art. 24. O. P. S. supr. cit. d. l. ibique Ziegler. in Comment. ad eand.*

## XXVII.

Celebre præterea beneficium est, quod Competen-

tiæ, ex competentia alimentorum, vocatur, haud exiguum cum Except. Morat. præ se fert affinitatem. Quippe quum aliàs totum exsolvendum foret, *l. 3. pr. ff. famil. ercisc.* hoc efficit, ut debitor non ultrà, quam facere possit, teneatur, *l. 16. & 17. seqq. ff. de Rejud.* Salvis scilicet necessarijs alimentis, *arg. §. 38. J. de Act. ubi Hopp. in Comment. prolixius, add. Carpz. P. 1. C. 32. Def. 15. num. 2.* nec omnibus tamen promiscuè debitoribus beneficium hoc competit, sed ijs tantum, quibus propter justam causam peculiariter à LL. concessum est *l. 9. ff. de Obseq. Parent. §. 5. J. de Exhered. l. 16. 17. 18. & 30. ff. de rejud.*

## XXIIX.

Cessat verò ob varias causas & quidem ratione concedentis subiecti, si indulgens Princeps sub conditione præstandæ cautionis dilationem dederit, & creditores illam remittere nolint, debitor autem hanc præstare recuset, Respectu recipientis, si debitor interea temporis ad inducias concessi locupletior factus sit, & sic cessante inopiâ tantquam causa impulsiva atque finali, ut scilicet intermedio spatio respiret & solvendi rationes meditetur debitor, cessare quoque debet dilatio impetrata, *l. 1. ff. de heredit. vel act. vend. vid. Berlich. Part. 2. Dec. 244. num. 9.* Quò locò etiam deducit *z. 1. & seqq.* Creditores illud, quod debitori antea remisissent, si ad meliorem dein fortunam pervenerit, repetere posse, *& num. 15. 16. & seqq.* addit quasdam limitationes, hoc nempe procedere saltem in fallito & decoctore fraudulento, non alio absque culpa ad inopiam redactò, vel Doctore, &c. Si remissio verò facta fuit, postquam locupletior extitit, vel sit factum remissivum spontaneum non extortum, aut jurata sit remissio credito-  
rum

rum, in hisce & similibus casibus repetitionem cessare.  
Deinde quoque debitor vim Rescripti & exinde proflu-  
entis Exceptionis Moratorij efficaciam, si Crimen Lesæ  
Maj, vel notam infidelitatis incurrat, amittit; nam ob ta-  
lia delicta meritò beneficia ac privilegia expirant, ut patet  
*ex l. 1. C. de Privil. Schol. lib. 12. Novell. 17. c. 4. in f. & 5. in pr.*  
*l. 5. C. ad L. Jul. Maj. C. Abbati 25. X. de V. S. Negligitur in simul,*  
quando non legitimo tempore h. e. ante Litis - Contesta-  
tionem illam opposuerit, & in terminis executivis exce-  
ptionem hanc frustrà urgere voluerit. Aliis quoq; modis  
hæc Exceptio viribus destruitur, præsertim si mors debi-  
toris, quæ omnia solvere dicitur, insequatur, & oppositio-  
nem heredibus præripiat, uti supr. adduct.

### XXIX.

Non inelegans exinde oritur quæstio, quid obtineat,  
si Princeps præmoriatur ante lapsum temporis & dilatio-  
nis concessa? Ubi aliqui distinguunt aliàs inter Rescri-  
ptum Gratia & Justitia, quorum illud hujus conditionis  
est, ut perfectum non intercitat morte, sed gratia concess-  
um postea quoque duret, nisi forsan ad vitam conceden-  
tis vel ad certum tempus aliud fuerit restrictum. Hoc verò,  
Justitiæ scilicet, ita valet post mortem rescribentis, si vel  
Commissarij eo adhuc vivo negotium inchoaverint, puta  
Citatione emissa & parti reæ insinuata, it. Litis contesta-  
tione inter partes facta &c. *c. 19. & 20. X. Offic. & pot. jud. deleg.*  
*add. Text. in Jur. Publ. tit. 13. num. 114. & seq.* Tamen Rescripti  
Moratorij Exceptionem, etsi de regulis justitiæ participet,  
magis gratiam, commiserationem, humanitatem Princi-  
pis ac inopiam debitoris respiciat, eamque ob causam in-  
dulgeatur, meritò statuendum erit, morte illius non expi-  
rare.

TH

Et hæc impræsentiarum ratione Instituti pro viri-  
um modulo & tenuitate ingenij de Exceptione seu Præ-  
scriptione Moratoria ex Rescripto Principis descendente  
dixisse sufficiant, tantum enim abest, ut prudentis Judi-  
cis arbitrio ut plurimum relinquatur, tot varijs casibus ob-  
venientibus, dijudicandum, cum ne utiquam aliquid ita  
generaliter asseri queat, quod non concurrentibus subin-  
de circumstantiis, quarum etiam una sapius totam rem  
variare dicitur, restringi ac limitari debeat. Hæc ex causâ  
mihî eandem, qualem jam supra à B. L. expetij, veniam,  
adhuc stipulor, si perperam quædam vel accuratè minus  
posita & decisa hîc inveniuntur, ut hæc pro suo ingenio  
ac bonitate emendet ac suppleat, maximè reputans: Ne-  
minem prorsus ab omni errore vacuum & alienum, nec  
omnibus idè omninò esse judicium. Interim Deo Triuni,  
cum quo exoratus, Fonti omnis Boni, Juris & Justi-  
tiz, pro sua clementer concessa assistentia, sit

Laus, Honor atque Gloria.

T A N T U M!




ULB Halle

3

005 355 346







7

g. 20. num. 3. ~~1703~~ 1703,1

I. N. J.

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS  
DE

# EXCEPTIONE MORATORIA

*Occas. L. 2. Cod. de Precib.  
Imperat. Offerend.*

P. 40

QVAM

DIVINA ASSISTENTE GRATIA  
EX DECRETO

MAGNIFICI JURIS-CONSULTORUM ORDINIS

IN

ILLUSTRI & PERANTIQVA HIERANA  
PRO LICENTIA

SUMMOS JURIS UTRIUQUE HONORES  
& PRIVILEGIA DOCTORALIA  
*consequendi*

Publicæ Eruditorum Ventilationi  
sistit

**Gottfried Busch /**

*Ad Diem 31. Martij Æra Christ. 1703.*

H. L. Q. C.



Excudebat JOH. HENR. Grotsh/ Acad. Typogr.